DE
REBVS INDE A BELLO HISPANIENSI VSQVE AD CAESARIS NECEM GESTIS

SCRIPSIT AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS TRADIDIT AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE VIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCXCV HORA XII PVBLICE DEFENDET

AEMILIVS KRVEGER
DESSAVIENSIS

ADVERSARII ERVNT

AEMILIVS BVECHELER
ERNESTVS LOMMATZSCH
ADALBERTVS WAHL

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCXCV

FRANCISCO BUECHELER

HENRICO NISSEN

HERMANNO USENER

Res inde a bello Hispaniensi usque ad Caesaris necem gestas ita tractabo, ut primum de fide et auctoritate scriptorum qui aetatem tulerunt disputem, deinde temporum ordines quantum fieri potest accuratissime explicem.

Pars prior.

1. Nicolaus Damascenus.

Atque primum dicendum est de Nicolai Damasceni vita Caesaris, omnium librorum de rebus annis 45 et 44 gestis scriptorum, qui quidem hodie exstant, longe vetustissimo. Cuius libri fragmenta neque pauca neque exigua — quamquam totius libri vix dimidiam efficiunt partem — servata sunt excerptis Constantinianis. Verum ut omnia illa excerpta ita haec quoque ubique foede inquinata sunt et mendis, quorum complura sustulit Buecheler (mus. rhen. XV p. 309 s.) et lacunis, quae multo plures sunt quam quas indicaverunt Car. Mueller (F. H. G. III p. 427 s.) et Guil. Dindorf (histor. Graeci min. I p. 93 s.) editores. Scriptum esse librum post Augusti mortem Asbach (mus. rhen. XXXVII p. 295) probabiliter exposuit*). Quamquam enim Augusti indicem rerum ab ipso gestarum scriptori notum fuisse certis argumentis comprobari non potest, veri tamen valde simile est. Sed utut haec sese habet res verba c. 1 οὗτος ὁ ἀνὴρ πλείστων μὲν ἦρξε ἀνθρώπων τῶν διὰ μνήμης Augustum tunc regnare iam desiisse satis demonstrant.

*) Erravit Gutschmid qui (scripta min. V p. 540) ex verbis c. 1 ἡμερωσάμενος ὁπόσοι ἐντὸς Ῥήνου ποταμοῦ κατοικοῦσιν ὑπέρ τε τὸν Ἰόνιον πόντον καὶ τὰ Ἰλλυριῶν γένη· Παννονίους αὐτοὺς καὶ Δάκας καλοῦσιν κτλ. collegit ea scripta esse ante expeditiones a Druso in Germaniam factas.

Et cum Nicolaus iam annum fere octogesimum ageret quo tempore Augustus de vita decessit non ita multo post videtur liber editus esse.

Quanta fides sit Nicolao habenda quaerentem non fugiet illum, quamquam res vere et sincere narraturum se esse ipse praedicat (cf. c. 2 καὐτὸς δ' ἀφηγήσομαι τὰ πεπραγμένα ἐξ ὧν οἷόν τε γνῶναι σύμπασι τὴν ἀλήθειαν), nimium in modum Augustum laudibus efferre. Quo studio ductus vel a veritate paulum recedere non dubitat. Velut Octavium novem fere annos natum aviae laudationem funebrem habuisse, quattuordecim annos natum togam virilem sumpsisse cum contendat, utroque loco quo maior sit gloria pueri annorum numerum minuit. Eidem in maius res extollendi studio cum Buergero (De Nicol. Dam. frgm., diss. Bonn. 1869 p. 7) tribuo, quod octoginta contra Caesarem viros coniurasse illumque triginta quinque vulneribus confossum esse contra ceterorum scriptorum auctoritatem tradit. Frustra enim O. E. Schmidt (Fleckeis. annal. suppl. XIII p. 674) Buergerum refellere conatus est.

Etsi igitur caute Nicolao uti debemus auctore, ab altera parte non obliviscendum est hominem eum fuisse et philosophum et eruditum qui vel Augusti amicitia non indignus haberetur. Romae praeterea eum versatum esse traditum est et ex libro ipso rerum Romanorum peritum eum cognoscimus. Accedit quod unus omnium aequalis est rebus quas describit et nonnulla multo uberius quam ceteri scriptores prodit. Itaque aliquantum certe auctoritatis Nicolao tribuendum est.

De fontibus ex quibus hauserit et quae ratio inter eum et ceteros scriptores intercedat, non multum potest pro certo affirmari, quibus de rebus infra disputabo.

2. Suetonius et Cassius Dio.

Ex ceteris rerum scriptoribus Suetonium cum Dione, Appianum cum Plutarcho coniungendos esse primo obtutu apparet. Primum igitur quaeramus, num Suetonius et Dio

adeo inter se consentiant, ut ex eodem fonte hausisse putandi sint. Suetonii vitam Caesaris esse tripertitam Nissen monuit (mus. rhen. XLI p. 497): c. 1—44 Caesaris vita, c. 45—75 eius habitus cultus mores, c. 76—88 eius mors narratur, e quibus partibus secundum temporis ordinem prima, ceterae per species dispositae sunt. Quo fit, ut complura bis enarrentur velut c. 6 et 74 divortium cum Pompeia factum, c. 1 et 45 Sullae ad optimates de Caesare dicta, c. 2 et 49 fama de Caesare a Nicomede corrupto etc., quae ut fontem cognoscamus denuo sunt coniungenda.

Contra Cassius Dio auctorem quo utitur ita sequi videtur, ut quo ille ordine res narraverit eundem ipse quoque servet. Qua in re id unum meminisse oportet explicationes interdum apud eum inveniri, quae ab ipso videantur additae; quales sunt XLIII 44, 2 s. de imperatoris appellatione, 46, 5 et 6 de consulibus, XLIV 1 et 2 de unius viri imperio.

Quantopere autem Dionis et Suetonii narrationes congruant, ut cognoscatur, exempli gratia conferamus Suet. c. 37—39 et Dionis l. XLIII c. 19 s.; eadem serie eaedem res narrantur ita, ut interdum ad verbum consentiant: primum quattuor Caesaris triumphi cf.

Dio XLIII 19, 1 τετραχῇ χωρὶς τέσσαρσιν ἡμέραις κτλ.	Suet. 37 quater eodem mense, sed interiectis diebus.

deinde militum in Caesarem cantica Dio XLIII 20, 2 = Suet. 49 et 80; ubi ad verbum congruunt:

Dio 20, 2 Καῖσαρ μὲν Γαλάτας ἐδουλώσατο, Καίσαρα δὲ Νικομήδης.	Suet. 49 Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem.

Parvam vero illam differentiam, quod, cum Dio (XLIII 21, 1) Caesarem cum quadraginta elephantis Capitolium ascendisse ultimo triumphorum die proferat, Suetonius (c. 37) priore aliquo die hoc factum esse narrat, Suetonii errore factam esse puto.

Rursus congruunt scriptores Caesaris in populum liberalitatem describentes, cum uterque Caesarem frumentum, oleum, trecenos nummos („quos pollicitus olim erat" Suet. 38 = „ἃς προϋπέσχητο“ Dio XLIII 21, 3) populo dedisse commemoret.

Quae postremo de ludis a Caesare habitis ab utroque traduntur, ita possunt ex eodem fonte fluxisse, ut ex complurium rerum enumeratione alter alteras elegerit. Consensus vero in eo cernitur, quod uterque (Suet. 39, Dio 23, 5) praetoris filium prodiisse gladiatorem perhibet. Neque a Dione Caesarem senatores in scaenam pugnaturos prodire prohibuisse dicente dissentit Suetonius Calpenum pugnasse narrans, quoniam Calpenum e senatu eiectum esse verbis „quondam senator" ostenditur.

Itaque non dubito haec Dionis et Suetonii capita ad eundem fontem revocare. Idem cognosci posse videtur Suetonii c. 76 s. cum Dione conlatis.

Atque primum videmus eodem modo quo Suetonius c. 76 et honores enumerat nimios et Caesarem patrios mores sprevisse et ex libidine administrasse rem publicam narrat, etiam Dionem cum honores enumerare (XLIII 43, 1; 44, 1—3, 6; 45, 1—3; XLIV 4, 2—7, 3), in quibus omnes fere, qui apud Suetonium exstant, inveniuntur, tum omnia ea, quae Caesar insolenter et contra patrios mores gesserit, diligenter commemorare (XLIII 42, 1, 3; 44, 2; 45, 1; 46, 2, 3; 47, 3 etc.).

Deinde congruit Suetonii c. 78 cum Dionis l. XLIV c. 8; nimirum Dio ut solet plura praebet, sed vel ad verbum inter se consentiunt:

Suet. 78 Adeuntis se cum plurimis honorificentissimisque decretis universos patres conscriptos sedens pro aede Veneris Genetricis excepit.	Dio XLIV 8, 1 ἐπειδὴ γὰρ .... τά τε πλείω καὶ τὰ μείζω σφῶν ψηφισάμενοι..... προσῆλθον αὐτῷ ἐν τῷ τοῦ Ἀφροδισίου προνάῳ καθημένῳ ..... καθήμενος σφᾶς .... προσεδέξατο.

Si vero Suetonii c. 79 initium, quo exponitur quomodo duo tribuni expulsi sint a Caesare, conferimus cum Dionis l. XLIV c. 9 et 10, primo adspectu nimium videntur inter se differre, quam ut ex eodem uterque scriptore hausisse possit. Dissentiunt enim ita ut feriis Latinis Suetonius factam esse statuae deligationem, Dio Caesarem appellatum esse regem a populo, deinde Suetonius in vincula coniectum esse eum, qui imposuisset diadema, Dio eum, qui primus regem appellasset Caesarem, tradant. Quod vero Suetonius paullo infra demum Caesarem a populo regem esse appellatum commemorat, nihil refert; nam manifestum est scriptorem ipsum suo more hanc regii nominis repulsam cum altera, quae Lupercalibus facta est, coniunxisse.

Sed etiam ceterae differentiae facile possunt expediri. Si enim sumimus a Dione id quod Suetonius tradit (etiam eos qui diadema imposuerint a tribunis in ius vocatos esse), omissum esse idque ad eius narrationem addimus, plenissima ea fit et cum ceteris scriptoribus (App. b. c. II 108, Plut. Caes. 60, 2; 61, 4) satis congruit. Suetonius vero feriis Latinis statuam esse deligatam dicens eodem modo erravit, quo supra (p. 5) errantem eum deprehendimus.

In sequentibus, cum diadema ab Antonio Lupercalibus Caesari oblatum esse memoriae prodat, Suetonius brevior est, quam qui singillatim cum Dione comparetur, neque verba congruentia:

Suet. 79 diadema . . . in Capitolium Iovi Optimo Maximo miserit	Dio XLIV 11, 3 καὶ τὸ διάδημα αὐτῷ εἰς τὸ Καπιτώλιον ἔπεμψεν

sufficiunt ad communem fontem demonstrandum.

Si deinde, ut fas est, Dionis sequimur ordinem, invenimus apud utrumque tribunos expulsos proximis comitiis a nonnullis consules esse declaratos (Dio 11, 4; Suet. 80 med.), item Brutum a populo excitatum esse ad rem publicam defendendam. In eo quoque congruunt, quod primo

loco commemorant epigramma L. Bruti statuae inscriptum: „utinam viveres".

Tum Dionis c. 15 eiusdem auctoris quo Suetonius utitur vestigia reperiuntur satis multa. Velut uterque quae de Sibyllinis libris narrabantur famam esse dicit:

Suet. 79 quin etiam varia fama percrebruit .... proximo . . senatu Lucium Cottam quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Caesar rex appellaretur etc.	Dio XLIV 15, 3 λόγου . . τινὸς .... διελθόντος ὡς τῶν ἱερέων τῶν πεντεκαίδεκα καλουμένων διαθροούντων, ὅτι ἡ Σιβύλλα εἰρηκυῖα εἴη, μήποτ' ἂν τοὺς Πάρθους ἄλλως πως πλὴν ὑπὸ βασιλέως ἁλῶναι καὶ μελλόντων διὰ τοῦτο αὐτῶν τὴν ἐπίκλησιν ταύτην τῷ Καίσαρι δοθῆναι ἐσηγήσεσθαι κτλ.

in quibus Sibyllae quoque verba plane congruunt.

Etiam sententiam, quae est apud Suetonium c. 80: „Quae causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset etc." legimus eandem, etsi pluribus verbis in ultima Dionis c. 15 paragrapho.

Somnia praeterea, quae Caesar eiusque uxor videbant, et prodigium quod factum est ea nocte, quae necis diem praecessit, eadem Dio (XLIV 17, 1 et 2) et Suetonius (81 med.) referunt fere iisdem verbis.

Postremo nemo negabit etiam in ultimo Caesaris die describendo scriptores ita congruere, ut ex eodem fonte eos hausisse statuendum sit. Quod iisdem fere verbis:

Suet. 81 ob haec . . . . diu cunctatus	Dio. 18, 1 χρονίζοντος δ' οὖν διὰ ταῦτα

incipiunt, minus valet, maioris autem momenti est, quod uterque Caesarem necatum esse tacentem et brevi ante mortem totum se velasse commemorat et quod famam refutat uterque Caesarem exclamasse: Καὶ σὺ τέκνον.

Ex hac continua congruentia apparet Dionem et Sue-

tonium eundem secutos esse auctorem. Quis vero fuerit ille, iam est quaerendum.

Atque primum dicendum est in Dionis l. XLIII c. 43 usque ad l. XLIV c. 19 nihil esse, quo, ut compluribus usum esse fontibus Dionem putemus, adducamur. Etiam XLIII 43, 5 τοῦτο μὲν οὖν ἐν ἐκβολῇ τοῦ λόγου, ὥστε μηδένα μηδὲν τῶν περὶ τοῦ Καίσαρος λεγομένων ἀγνοῆσαι ἔγραψα κτλ. quo loco fortasse putet quispiam alium scriptorem adhibitum esse non secessit Dio ab eo fonte, qui ei cum Suetonio communis est, vide enim Suet. c. 45 finem, ubi eadem quae in Dionis c. 43 exponuntur.

Ille autem quem hic Dio secutus est auctorem Latina videtur lingua scripsisse. Nam cum Antonium latino vocabulo, quo nusquam alibi usus est*) ἱερέα διάλιον nominet (XLIV 6, 4), sequi videtur, ut haec ex latino scriptore translata sint. Qui peritissimus fuit rerum Romanarum antiquarum: nam l. XLIII c. 43, 2 Albanorum reges, a quibus Iulii originem derivabant, spectat. Neque indignum cuius rei mentio fiat videtur, eandem dubitationem, num Iulii hoc iure faciant, quae verbis ὡς προσήκων indicatur, etiam apud Livium legi (I 3, 1): „quem Iulum eundem Iulia gens auctorem nominis sui nuncupat"; contra Strabo eam rem pro certo tradit (XIII 27, p. 595): ὁ δὲ Καῖσαρ … ἐπερρώσθη πρὸς τὴν εὐεργεσίαν νεανικῶς . . . ὅτι Ἰούλιος ἀπὸ Ἰούλου τινὸς τῶν προγόνων· ἐκεῖνος δ' ἀπὸ Ἰούλου τὴν προσωνυμίαν ἔσχε ταύτην, τῶν ἀπογόνων εἷς ὢν τῶν ἀπὸ Αἰνείου.

Deinde Dionis auctor peritum se praestat Romanae historiae l. XLIV c. 12, ubi M. Brutum non prognatum esse ex eo Bruto, qui Tarquinios expulerit, dicit, cum alii ut Cicero (Brut. 53), Nicolaus (c. 19, p. 110, 29 Dindorf), Appianus (b. c. II 112, p. 796, 2 Mendels.) hoc pro certo habeant. Novit igitur ille controversiam illam antiquitus

---

*) Ceteris locis dicitur ὁ ἱερεὺς τοῦ Διός cf. LIV 24, 2; 36, 1; LIX 13, 1.

ortam, quam Posidonium iam solvere conatum esse ex Plutarchi Bruto (1, 1 et 5) videmus.

Quem scriptorem Caesaris partibus non favere ubique cerni potest. Quod a Dione alienum est, qui de Caesare optime iudicaverit (cf. XLIII 50, 2 et XLIV 1 et 2).

Si haec omnia cogitatione complectimur, id quod Heimbach (diss. Bonn. 1878, Quaeritur quid . . Dio . . e Livio desumpserit p. 37) etsi non demonstravit, tamen haud iniuria suspicatus est, Iudeich (Caesar im Orient p. 32) de aliis Dionis libris evicit, Livium hic quoque esse Dionis auctorem non improbabile esse iudicabimus*).

Atque si Dionem conferimus cum Livii periocha 116, rerum gestarum series fere eadem est, nisi quod excerptor a priore honorum enumeratione (Dio XLIII 43, 1 s.) transiisse ad alteram videtur (Dio XLIV 4, 2—7, 3) omissis eis quae Caesar ad rem publicam administrandam instituit (Dio XLIII 46—XLIV 3). Uno tamen loco gravior exstat discrepantia: Tria enim illa facta, quibus invidia contra Caesarem orta est, quae Dio et Suetonius ita narrant, ut primo loco Caesarem senatui honores deferenti non adsurrexisse, altero iniuste cum egisse in Caesetium Flavum et Epidium Marullum tribunos, tertio diadema ei oblatum esse Lupercalibus referant, in periocha eo proferuntur ordine, ut ultimo demum loco iniuria tribunis illata commemoretur. Neque vero dubium esse potest, quin hoc falsum sit. Nam Lupercalia habita sunt a. d. XV kal. mart., Caesaris cum tribunis rixa circa ferias Latinas, quae a. d. VII kal. febr. finitae sunt, facta esse videtur (cf. infra p. 31). Livius vero, quem aliis quidem locis a rebus transponendis non abhorruisse infra (p. 14) videbimus, cur hic verum ordinem mutaverit causa excogitari non potest. Itaque praesertim cum periocha non ex ipso Livio, sed ex epitoma Liviana sumpta sit, excerptori hunc errorem tribuam.

---

*) De iis quae Hugo Grohs (Der Wert des Geschichtswerkes des Cassius Dio u. s. w. Diss. Züllichau 1884) protulit cf. Iudeich l. c. p. 204.

Si vero recte Livium Dionis auctorem esse statuimus, Suetonium quoque ad eundèm revocari oportet. Atque hoc eo quoque comprobatur, quod Suetonius compluribus locis cum Livii periocha, Eutropio, Floro, ceteris Livii excerptoribus ad verbum congruit, quamvis parvae sint hae congruentiae:

Suet. 38/39. Adiecit epulum . . edidit spectacula varii generis	Periocha 115. Caesar . . . epulum et omnis generis spectacula dedit.
Suet. 79. . . . Lupercalibus . . . a consule Antonio admotum saepius capiti suo diadema reppulerit . . .	Per. 116. a M. Antonio consule collega suo inter lupercos currente diadema capiti suo impositum . . .

Suet. 80. Conspiratum est in eum a sexaginta amplius . . .	Per. 116. Conspiratione in eum facta . . .	Eutr. VI 25. Coniuratum est in eum a sexaginta vel amplius.

Suet. 81 . . . pluribus hostiis caesis, cum litare non posset	Flor. II 13 (fin.) . . . nec perlitare centum victimis potuerat.
Suet. 82 . . . tribus et viginti plagis confossus est	Eutr. VI 25 . . tribus et viginti vulneribus confossus est (=Oros. VI 17, 1, Iul. Obs. 67).

Communis igitur Dionis et Suetonii auctor Livius putandus est. Quae vero hisce inserta c. 77 et c. 81 ex T. Ampii et Cornelii Balbi auctoritate adferuntur, cum ceteris rebus paulo fusius exponantur, Suetonius ex eis scriptoribus ipsis sumpsisse videtur.

Qua vero ratione Dio Livio utatur fonte ut cognoscatur, id notatu dignum videtur, quod paucos commisit errores. L. XLIII c. 43, 5 enim falso conectit Sullae de Caesare dictum cum Ciceronis verbis ita, ut Ciceronem

quasi cum Sulla loquentem faciat. Eiusdemque libri c. 51, 8 bis erravit; primum enim inimicitias inter Dolabellam et Antonium ortas falso inde repetit, quod Dolabellam Antonii loco consulem fieri voluisse putat; deinde Antonium et Lepidum usque ad annum 45 exeuntem magistros equitum fuisse opinari videtur.

3. Valerius Maximus.

Ad haec quae de Livio Dionis et Suetonii auctore exposui liceat mihi pauca addere de Valerio Maximo. Quem quod item permulta sumpsisse ex Livio in universum constat (cf. Elschner, diss. Berol. 1864 p. 32, Zschech diss. Berol. 1865 p. 23, Kranz progr. gymn., Posen O. 1876 p. 1), id etiam de rebus a. 45 et 44 gestis, quas quidem commemorat valet.

Eximendum sane est Spurinnae haruspicis de bove, cui cor in extis defuit, responsum (I 6, 13), cum sine dubio Cicero (de div. I 119) huius rei auctor sit. Sed certe ad Livium redit, quod Valerius (IV 5, 6) Caesarem morientem totum se velasse tradit, quod idem a Dione et Suetonio (cf. supra p. 8) commemoratur. Deinde quae de Caesetii tribuni patre V 7, 2 dicuntur Livio deberi ostendunt verba „invidiam ei tamquam regnum adfectanti", quae ipsa exstant in periocha 116.

Etiam illa de Porcia se ipsam vulnerante narratiuncula (III 2, 15) meo quidem iudicio eidem tribuenda est auctori cui Dionis l. XLIV c. 13 i. e. Livio. Nam quod Porciam iam antequam se ipsam vulneraret, Bruti viri sui consilium quod de Caesare interficiendo ceperat cognosse dicit, haud dubie negligentius egit Valerius, cum verissime — ut res ipsa docet — Dio narret eam se ipsam vulnerando maritum impellere voluisse, ut quid sibi proposuisset aperiret.

Eodem modo Val. IV 6, 5 = Dio XLVII 49, Val. VIIII 11, 2 = Suet. 81 med., Val. III 1, 3 = Plut. Brut. 9 (cf. infra p. 21) ex Livio fluxisse videntur.

4. Velleius.

De Velleio certi quicquam proferre non possum, quamquam nihil obstare videtur quin l. II c. 56—58 Livio deberi existimemus.

Postremo obiter moneo uno loco Livii excerptores paullulum inter se differre. Florus enim (II 13) coniuratos omnes patres, Eutropius (VI 25) senatores et equites fuisse contendit. Sed quoniam Florus aliis quoque locis erravit, Eutropium Livii verba hic maiore cum fide servasse arbitror.

5. Appianus et Plutarchus.

Ex eodem Graeco libro ex quo quae b. c. II s. narrat Appianus sumpsit, Plutarchum quoque, cum Pompeii, Caesaris, Bruti vitas conscriberet, multa excerpsisse iam inter omnes constat (cf. P. Otto, Leipz. Stud. XI p. 245 s.). Atque hunc librum Strabonis esse commentaria historica Judeich (Caesar im Orient p. 46) cum suspicatus esset, Paulus Otto argumentis satis firmis comprobavit. Quod porro viri illi docti Appianum ex eo uno fonte sua hausisse, Plutarchum praeterea alios vel potius alterum quoque adiisse fontem existimarunt id etiam eis capitibus quae nobis tractanda sunt (App. b. c. II 106—118, Plut. Caes. 56—67, Brut. 7—17), plane confirmatur.

Sed contra Iudeichium Livium a Strabone adhibitum esse Paulus Otto negat (p. 262). Quod ita se habere etsi multis locis verisimile videri concedit, locos tamen, e quibus Iudeich id conclusit, non sufficere ad rem demonstrandam suo iure monet. Verum potest accuratius demonstrari.

Res quibus Caesar ultimis ante mortem mensibus populi in se invidiam excitavit quo modo sese exceperint et quo eas ordine Livius enarraverit iam supra (p. 10) dictum est. Hunc autem Livii ordinem praeter Dionem (XLIV 8) secutus est etiam Appianus Strabonis pedisequus (II 107); Plutarchus enim hic praetereundus est, qui res ad suum arbitrium transponere soleat. Contra Nicolaus Damascenus

quod Livius et Appianus i. e. Strabo primo loco narraverunt Caesarem senatui honores deferenti non adsurrexisse tertio loco collocavit (c. 22). Eum vero temporum ordinem studiose servare ubique apparet (c. 21 μετὰ δὲ ταῦτα ... ἐγένετο, c. 22 Κίννας μετ' οὐ πολύ ... δόγμα ἐκύρωσε, paulo infra κατόπιν δὲ τούτου καὶ ἕτερον ἐπράχθη).

At Livium temporis ordinem non anxie sequi, sed res eiusdem generis inter se coniungere solere et nonnumquam res priore tempore gestas posteriore loco commemorare ex Dione perspicuum est. Velut XLIII 42 primum triumphi m. oct. et nov. habiti, deinde (c. 43—45) honores quos eiusdem anni m. april. et s. decretos esse probabile est (cf. infra p. 26) enumerantur, tunc quomodo Caesar rem publicam administraverit exponitur; ubi leges coniunctim tractantur quae plane diversis temporibus latae sunt. Idem valet de honorum enumeratione XLIV 4 s.

Quibus consideratis etiam hoc loco temporum ordinem a Livio neglectum esse perspicitur. Postquam enim honores in Caesarem delatos enumeravit, statim adnectere, quid senatui eos deferenti acciderit rationi eius optime convenit. Sic quae apud Livium est rerum transpositio facile explicatur. Cum vero Appianus i. e. Strabo eodem res ordine exponat, eum ex Livio hausisse manifestum est. Quae igitur apud Strabonem cum Livio congruentia leguntur, non ad communem quendam fontem, sed potius ad Livium ipsum revocanda sunt. In iis autem Appiani capitibus cum quibus nobis res est pauca sane reperiuntur Livii vestigia. Quod Mommsen (Roem. Staatsr. I^3 621 not. 7) in verbis c. 106 (p. 790, 17) ὀμνύναι μηδενὶ τῶν ὑπὸ Καίσαρος ὁριζομένων ἀντιπράξειν Latina recognovit verba, possunt ea esse Liviana. Etiam causa, cur properaverint Brutus et Cassius Caesaris necem, quam legimus c. 113 (p. 796, 18 Mendels. = Plut. Brut. 10, 2) eadem est, quam Dio XLIV 15, 4 et Suetonius 80 praebent. Itaque hoc quoque loco Livius a Strabone adhibitus est. Fortasse etiam plura investigari possunt.

De ratione vero, qua Appianus Strabone usus est, id monendum est eum excerpsisse neglegentissime (cf. Nissen,

Krit. Unters. ü. Liv. p. 115). Legas enim c. 111 (p. 794, 18) συνεστήσαντο δὲ τὴν ἐπιβουλὴν μάλιστα δύο ἄνδρε, Μᾶρκός τε Βροῦτος .... καὶ Γάιος Κάσσιος ..... τῶν δ' αὐτῷ Καίσαρι φιλτάτων Δέκμος Βροῦτος Ἀλβῖνος κτλ. i. e. tres viri, non duo coniurationem coeperunt; cur igitur infra (p. 797, 12) Brutus et Cassius ad coniurationem et alios et D. Brutum, qui modo inter coniurationis auctores commemoratus est, adhibuisse dicuntur?

Deinde c. 113 (p. 795, 13) inter Brutum et Cassium discordiam esse ortam narrat, eos vero in gratiam rediisse praetermittit. Etiam illud falsum est, quod Lepidum, qui a. 44 magister equitum fuerit, tunc Antonio in hunc magistratum successisse contendit (c. 107, p. 791, 11).

His igitur expositis satis elucet Appiano magna cum cautione utendum esse.

Iam veniamus ad alterum scriptorem qui Strabone usus est, Plutarchum. Quem praeter illum compluribus locis Livium ipsum adhibuisse et Iudeich (p. 43) et P. Otto (p. 263) suo iure censuerunt. Haud pauca enim Plutarchi Livio videntur tribuenda esse etiam ex eis capitibus (56 s.), cum quibus nobis res est. C. 56 brevissime bellum Hispaniense narratur Strabone auctore, ut cernitur ex verbis quae congruunt:

Plut. c. 56. ὕπατος ἀποδειχθεὶς τὸ τέταρτον εἰς Ἰβηρίαν ἐστράτευσεν ἐπὶ τοὺς Πομπηίου παῖδας νέους ἔτι ὄντας . . . . § 3. εἶπεν ὡς πολλάκις μὲν ἀγωνίσαιτο περὶ νίκης, νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψυχῆς . .	App. II 103 αὐτὸς δὲ ἤδη τέταρτον ὑπατεύων ἐπὶ τὸν νέον Πομπήιον ἐστράτευεν ἐς Ἰβηρίαν ..... c. 104 fin. φασὶν αὐτὸν εἰπεῖν ὅτι πολλάκις μὲν ἀγωνίσαιτο περὶ νίκης, νῦν δὲ καὶ περὶ ψυχῆς.

Ex Livio vero inserta sunt verba Plut. 56, 3 ... καθ' ἣν λέγεται καὶ Πομπήιος Μάγνος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν· διὰ μέσου δὲ χρόνος ἐνιαυτῶν τεσσάρων διῆλθε .... cf. Oros. VI 16, 8. Ipsum quoque verbum λέγεται optime ad Livium quadrat (cf. Iudeich p. 45).

Quod c. 56, 4 exponitur Caesaris triumphum ut de civibus habitum non fuisse iustum ex Livio sumptum videtur esse cf. Dio XLIII 42, 1. Etiam Caesarem de victoriis litteras ad senatum non dedisse Livio tribuam.

Ineunte c. 57 Ciceronem primos honores Caesari tradendos in senatu rogasse legimus; hoc autem ex Plut. Cic. 40, 4 sumptum esse videtur.

Quae sequuntur fere omnia apud eos scriptores solos exstant qui ex Livio hauserunt:

57, 3 Caesar omnibus hostibus veniam dat, nonnullis permittit, ut magistratibus fungantur = Dio XLIII 50, 1, Suet. 75.

57, 4 Pompeii statua reficitur = Dio XLIII 49, 1 *).

57, 5 Corinthus et Carthago ut eodem tempore dirutae erant, ita eodem reficiuntur = Dio XLIII 50, 3 **).

58, 1 Caesar, cum multis qui partibus suis faverint magistratus promiserit, nunc omnibus satisfacere conatur = Dio XLIII 47, 2 et 51, 9.

58, 1 Caninius consul unius diei creatur; Ciceronis de hac re facete dictum = Dio XLIII 46, 4.

Tum Plutarchus Caesarem magnam adversus Parthos facere expeditionem sibi proposuisse tradit, ex qua per Scytharum Germanorum Gallorum fines rediturum eum esse solus Plutarchus prodit. Quae res non indigna videtur, quae Livio tribuatur. Quae vero 58, 4 narrantur Caesarem in animo habuisse Isthmum perfodere, Tiberis cursum deflectere, Pomptinas paludes siccare certe fluxerunt ex Livio cf. Dio XLIV 5, 1 et Suet. 44.

---

*) Unum illud Caesarem amicis, ut ab eis custodiatur, suadentibus non obsecutum esse etiam apud Appianum (c. 107 p. 790, 26) legitur, sed Caesaris responsum quod Plut. exhibet magis congruit cum Velleio (II 57). Itaque fortasse hic quoque Livii vestigia cernuntur.

**) Eius rei Strabo quoque mentionem fecit XVII p. 833 (≙ frg. 184 P. Otto).

Etiam fastorum correctionem quae c. 59 describitur cl. Dione (XLIII 26) et Suetonio (c. 40) ad Livium referam. Ex eo vero, quod in singulis Plutarchus non nimis congruit cum Dione et Suetonio inter se satis consentientibus, id tantum concludendum est Plutarchum quae ex fontibus sumpserit ut solet liberius tractasse. Idque eo quoque demonstratur, quod hanc rem iam a. 46 factam nunc demum commemorat.

Nihil igitur obstare videtur, quominus fere omnia quae inde a c. 56, 4 usque ad c. 59 leguntur e Livio fluxisse arbitremur.

In sequentibus capitibus Plutarchus a rerum ordine quam et Livius et Strabo praebuerunt discedens res ad suum arbitrium disponit. Quae vero profert partim ex Strabone partim ex Livio fluxerunt.

Quod enim primo loco c. 60, 1 narrat de Sibyllarum oraculo ad Strabonem referenda duco cl. Appiani c. 110 (p. 794, 1) qui item rem breviter tantum attingit, cum Livius paullo fusius narrans quindecimviros de hac re ad senatum rogationem laturos esse commemoraverit (Dio XLIV 15, 3, Suet. 79). Etiam c. 60, 2 Caesarem a populo regem appellatum esse narrans Strabonem videtur auctorem sequi cf.:

60, 2 . . . ἐτόλμησαν αὐτὸν ἀσπάσασθαι βασιλέα· τοῦ δὲ δήμου διαταραχθέντος ἀχθεσθεὶς ἐκεῖνος κτλ.	App. II 108 (p. 792, 3) . . . . καὶ τοῦ δήμου στενάξαντος, εὐμηχάνως εἶπε τοῖς ἀσπασαμένοις κτλ.

etsi Appianus pro καταβαίνοντος ἐξ Ἄλβης εἰς τὴν πόλιν tantum ἀμφὶ τὰς πύλας ἰόντα dicit.

Quod autem Plutarchus hic omisit eos qui appellandi initium fecissent in ius vocatos esse a tribunis, c. 61, 4 inseruit.

Ex eodem Strabone sumptum est, quod Plutarchus cum Appiano falso refert Caesarem in rostris consedisse, cum senatus honores in eum delaturus veniret, et duos consules senatorum agmen antecessisse. Rectius Nicolaus

(c. 22) et Livius (per. 116, Dio XLIV 8, 1, Suet. 78) Caesarem ante Veneris templum sedisse unumque consulem antecessisse tradunt, cum Caesar ipse alter a. 44 consul fuerit. Contra Caesaris responsum adeo est acre et malignum, ut non a Strabone, sed a Livio traditum esse censeam. Quod eo comprobatur quod etiam quae sequuntur Liviana sunt: non solum senatum sed totum populum iniuriam sensisse sibi illatam et postea Caesarem morbo se excusasse (cf. Dio XLIV 8, 2 s.) et Caesarem a Cornelio Balbo retentum esse (Suet. 78, cf. quidam putant = Plut. 60, 5 λέγουσιν).

C. 61 Plutarchus more suo similes res inter se coniungendi in errorem inductus est. Ibi enim res, quae totius fere mensis spatio inter se distant, quasi eodem die gestas refert et ita ut priorem secundo narret loco. Dicit enim Caesarem postquam ei Lupercalibus diadema oblatum esset, eodem die a Caesetio et Epidio tribunis offensum esse. Usus autem hoc loco videtur esse Strabone cf.:

Plut. 61, 3 καὶ γίνεται κρότος .... ὀλίγος κτλ.	App. 109 (p. 793, 9) κρότου δὲ πρὸς τὴν ὄψιν παρ' ὀλίγων γενομένου κτλ.

Quod 61, 4 s. narratur Caesarem populi clamoribus etiam magis indignatum tribunos increpantem Brutos et Cumanos appellasse Plutarchum ex Strabone sumpsisse docent verba:

Plut. 61, 5 τὴν μὲν ἀρχὴν ἀφείλετο τῶν περὶ Μάρυλλον	App. c. 108 (p. 792, 9) κατηγόρησεν . . . τῶν περὶ τὸν Μάρυλλον

et convicium Κυμαῖοι, quod Graecum redolet scriptorem *).

C. 62 Plutarchus primum breviter repetit quae in Bruti vita exposuerat (de quibus infra videndum est) Liviumque ut videtur (cf. Vell. II 56) secutus unum illud addit consulatum quoque petentes Cassium et M. Brutum inter se certasse, quod in Bruti vita Livium rarius adhibens omiserat.

*) De Cumanis v. Strabo XIII p. 622.

Prodigiorum deinde enumeratio (c. 63) fere tota ex Livio fluxisse videtur. Etenim quae initio legitur sententia, etsi non nimis exquisita est, tamen cum et apud Dionem (XLIV 17, 1) et apud Suetonium (c. 81) neque apud Appianum inveniatur, digitum quasi intendit ad Livium. Prima prodigia Liviana esse possunt, nam κτύποι quos nominat Plutarchus referri possunt ad prodigium armorum Martiorum a Dione (XLIV 17, 2) commemoratum. Tunc adiecit Plutarchus prodigium aliquod ex Strabone sumptum cuius auctorem, fortasse ideo quod apud Strabonem solum invenit, nominare opus esse censuit. Quod vero sequitur, exta sine corde inventa esse ex Livio fluxisse necesse est. Nam quae profert magis quadrant ad Suetonii narrationem (c. 77) quam ad Appiani (c. 116, p. 800, 23) qui hoc mortis die factum esse falso arbitratur (cf. Val. Max. I 6, 13 et infra p. 34).

Narratiuncula de vate idus Martias infaustas praedicente fore Livio tribuenda est (cf. Dio XLIV 18, 4, Suet. 81 et 77), item res quae in Lepidi cena accidit. Nam cum Appianus (c. 115 p. 798, 21) illud longe aliter referat, Suetonius (c. 87) bene cum Plutarcho congruit.

Porro prodigia nocte ante mortis diem facta quae 63, 5 enumerantur ex Livio sumpta esse Iul. Obs. c. 67 (cf. Dio XLIV 17 et Suet. 81) ostendit. Et quod scriptor verbis οἱ δ' οὔ φασι diversos auctores spectare videtur, iam Livium ita scripsisse censeo.

Quae deinde sequuntur Calpurniae preces, Caesaris sacra infausta, D. Bruti adventus et adhortationes, quamquam Appianus ea brevissime narrat, tamen adeo cum eo congruunt, ut Strabonem huius rei auctorem esse appareat. Livius enim fortasse ne commemoravit quidem Calpurniae preces, cum Dio et Suetonius de hac re taceant; praeterea ordo rerum diversus est. Sed ex Livio hic inserta videntur esse et c. 64, 1 D. Brutum Caesaris heredem esse (Suet. 83) et coniuratos timuisse ne res proderetur (Dio XLIV 18, 1).

C. 64, 4-65 Plutarchus describit, quomodo nonnulli periculum, quod immineret, Caesari prodere conati sint.

Ex his quae primo loco exstat servi nuntiatio Strabonis videtur esse cf. App. 106 (p. 800, 3—6). Inde autem ad Livium scriptor transit. Vide enim quomodo res procedat apud Dionem et Suetonium: Caesar hominem rem nuntiantem non audit, deinde libellum eius accipit „quasi mox lecturus", ... tum introit curiam (Dio XLIV 18, 3, Suet. 81). Plutarchum eadem habere manifestum est. Quae vero ex Strabone sumpta apud Appianum leguntur c. 116 (p. 800, 7—11), Plutarchus in fine (c. 65, 2) adiecit verbis ἔνιοι δέ φασιν κτλ.

C. 66 quo Caesaris mors exponitur, cum hic illic verba cum Appiano congruant rerumque series eadem sit, fere totum ex Strabone sumptum esse putandum est *). Fortasse tamen eximenda sunt quae 66, 2 narrantur, quae cum a verbo λέγεται incipiant Livio deberi videntur (cf. Iudeich, l. c. p. 45 et supra p. 15). Accedit quod Plutarchus ineunte paragrapho sequente aperte errat, cum Antonium non a Trebonio, ut recte ceteri scriptores et ipse in Bruti vita (c. 17) sed a D. Bruto retentum esse dicat. Qui error ab altero ad alterum fontem transeunti facile accidere potuit.

Quae sequuntur cum a meo proposito aliena sint, non opus est singillatim perscrutari. Satis igitur habeo commemorasse hic quoque Strabonem Appiani et Plutarchi auctorem cognosci posse, quod P. Otto non videtur perspexisse. Id tantum monendum est, Plutarchum res valde contraxisse, cum ad Caesaris vitam describendam minoris momenti essent. Sed vestigia communis fontis satis multa sunt: cf. Plut. Caes. 67, 1 et 2 in. = App. 118 (p. 802, 23—803, 3) et Pl. Caes. 67, 2 et 3 = App. 119 (p. 803, 20—804, 7).

Ut in Caesaris, ita etiam in Bruti vita, quae Plutarchus ex Livio, quae ex Strabone hauserit, discernenda sunt. Cum in his multo plura inveniantur, quae ad ver-

*) Recte P. Otto (l. c. p. 251) eos locos enumerans, quibus Appianus et Plutarchus consentiunt, quae enumeratio alibi interdum et emendari et augeri potest, hoc caput non omisit.

bum cum Appiano congruant, apparet Plutarchum hic multo minus ad suum iudicium res tractasse, sed presso pede auctores secutum esse.

Incipiendum est nobis a Plut. Brut. 6, 6 et 7 quae una cum c. 5, 1 et 2 et c. 7, 1—3 leguntur apud Appianum c. 111 et 112 (p. 795, 7—24), neque dubium esse potest, quin ea omnia ex Strabone sumpta sint.

Ex quonam vero fonte c. 7, 4 et c. 8 fluxerint, Appiano vel eis scriptoribus qui a Livio pendent comparatis cognosci potest. At tamen harum rerum Strabonem esse auctorem certum est, etsi apud Appianum illius excerptorem plane desunt; artissime enim cum illis, quae supra c. 7, 2 et 3 et infra c. 10 de Bruto et Cassio narrantur, quae manifesto ex Strabone sumpta sunt, cohaerent ita ut omnia ad unum eundemque auctorem redire apertum sit.

Contra c. 9 Livius adhibitus est. Quae enim ibi commemorantur Cassii pueri in tyrannos inimicitiae, eodem modo a Livio narratas esse ex Valerio Maximo (III 1, 3) cognoscitur. Accedit quod quae infra leguntur Bruti adhortationes certe Livio tribuenda sunt, cum magis cum Dione (XLIV 12, 3) quam cum eis quae Appianus (c. 112 p. 796, 4 s.) exhibet, congruant.

Deinde totum c. 10 Strabonis esse docet Appiani c. 113 (p. 796, 11—797, 6).

Etiam quae c. 11 et 12 narrantur, opinor ex Strabone fluxerunt, etsi Appianus eos tantum amicos enumerat, qui coniurationis participes facti sunt. Sed haec enumeratio ipsa ostendit Appianum hic quae ex fonte suo sumpserit commutasse. Nam errores qui in ea inveniuntur (cf. Mendelssohnii adnotationem) non solum scribarum, sed etiam Appiani sunt. In eis vero, quae hanc enumerationem sequuntur (p. 797, 13—17), Appianus rursus satis consentit cum Plutarcho (c. 12, 6).

De c. 13 dubitari potest, num haec narratio Livio tribui possit, ex quo et Dio (XLIV 13) et Valerius Maximus (III 2, 15) sua deprompserunt. Si vero accuratius inspicimus, Dionem et Plutarchum ex eodem fonte hausisse

cognoscimus. Valerium enim Maximum hic missum faciamus oportet (cf. supra p. 12 et quae Kranz [progr. gymn. Posn. O. 1876] de eius rerum tractandarum ratione exposuit): cum Plutarcho commune habet unum illud „cultellum tonsorium, quasi unguium resecandorum causa" postulatum = Plut. 13, 3 μαχαιρίον ᾧ τοὺς ὄνυχας οἱ κουρεῖς ἀφαιροῦσι; cetera plane diversa sunt.

Potius conferamus Dionem cum Plutarcho. Quod apud Dionem Porcia Brutum quid sibi proposuerit interrogat, apud Plutarchum non interrogat, alter eorum non accurate ex Livio exscripsisse existimandus est. Cetera autem satis congruunt:

Porcia constituit constantiam suam tentare. — Femori vulnus infert. — Tunc Brutum adloquitur: Mihi non confisus es; sed tacere possum quamvis cruciata. — ,ταῦτ' εἰποῦσα' vulnus monstrat. — Postremo cetera narrat.

Itaque apud utrumque res eodem modo procedit; Plutarchus igitur ea ex Livio sumpsit.

Quod sequitur c. 14 ex Strabone fluxit, ut videtur. Conferendum enim est c. 14, 1 cum App. c. 114 (p. 798, 2—5); quae denique ultima paragrapho exponuntur apud Strabonem exstitisse verba Appiani docent c. 115 οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Βροῦτον ἕωθεν κατὰ τὴν στοὰν τὴν πρὸ τοῦ θεάτρου τοῖς δεομένοις σφῶν ὡς στρατηγῶν εὐσταθέστατα ἐχρημάτιζον κτλ. (p. 799, 11 s.); id enim quod coniurati eo die praetorio munere functi erant, ideo tantum a Strabone commemoratum esse, ut Bruti dictum quod Plutarchus (14, 3) servavit narrari posset, consentaneum est.

C. 15, 1—3 exstant apud Appianum c. 115 (p. 799, 14—26); ergo Strabonis sunt. Quae vero 15, 4—6 de Porcia narrantur, Livio tribuam, ex quo c. 13 fluxisse modo vidimus.

C. 16 et 17 denique certe ex Strabone Plutarchus sumpsit, c. 16 enim conferas cum Appiani c. 116 (p. 800, 11—20) et de c. 17 inspicias Plut. Caes. c. 66 et quae supra (p. 20) de eo exposui; quae capita ex eodem fonte sumpta esse manifestum est.

— — — — —

Videamus nunc, qua ratione cum Livio et Strabone cohaereat Nicolaus, quem adhuc consulto praeterii, ne argumentationis progressus conturbaretur. De Nicolao egit O. E. Schmidt (Fleckeis. annal. suppl. XIII p. 663 s.), qui p. 686 complures Nicolai et Suetonii locos conferens Suetonium c. 76—80 Nicolaum adiisse arbitratur. Non recte ut videtur; ex eis, quae supra exposui, apparuit illa Suetonii capita ex Livio fluxisse. Livium vero et Nicolaum complures res a ceteris omissas solos referre, non mirum potest videri, quibus ut sunt aequales aditus ad eosdem fontes patuerit. Ex eis locis autem quos O. E. Schmidt attulit certe idem scriptor apud utrumque hoc uno loco cognoscitur:

Suet.	Nicol.
Suet. 80 . . . Consilia igitur, dispersim antea habita et quae saepe bini ternive ceperant, in unum omnes detulerunt . . . . Qui primum cunctati, utrumne in Campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisis e ponte deicerent atque exceptum trucidarent an in sacra via vel in aditu theatri adorirentur. (Ea coniungenda videntur esse; quae intercedunt a Suetonio interposita sunt.)	Nicol. 23. Συνῄεσαν δ' ἐν φανερῷ μὲν οὔποτε βουλευσόμενοι, λάθρᾳ δὲ κατ' ὀλίγους εἰς τὰς ἀλλήλων οἰκίας· καὶ πολλὰ μέν, ὥσπερ εἰκὸς ἦν, ἐλέχθη τε αὐτοῖς καὶ ἐκινήθη, σκοπουμένοις τοσόνδε ἔργον ὅπως τε ἐπιθήσονται καὶ ὅπου· τινὲς μὲν οὖν εἰσέφερον διὰ τῆς ἱερᾶς καλουμένης ὁδοῦ ἰόντι ἐγχειρεῖν· ἐφοίτα γὰρ πολλάκις ἐκείνῃ ἄλλοι δ' ἐν ταῖς ἀρχαιρεσίαις, ἐν αἷς αὐτὸν ἔδει καθιστάντα ἐν τῷ πρὸ τῆς πόλεως πεδίῳ τὰς ἀρχὰς διιέναι τινὰ γεφύραν, διακληρωσάμενοι τὸ ἔργον, ὅπως οἱ μὲν ὤσειαν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γεφύρας, οἱ δὲ ἐπιδραμόντες κτείνειαν· ἄλλοι δὲ ὅταν θέαι μονομάχων ἄγωνται κτλ.

Utrum vero Nicolaus quoque ex Livio an Livius et Nicolaus ex eodem fonte ea sumpserint, discernere non possum.

Nicolao deinde cum Appiano et Plutarcho conlato inter Appianum et Nicolaum nulla quae alicuius momenti sit exstat congruentia. Compluribus vero locis cum eo consentit Plutarchus qui, cum ipse Augusti vitam descripserit, Nicolaum quem in Bruti vita bis nominavit (c. 53) non neglexisse putandus est. Congruunt vero haec:

Nicol. 20.	Plut. Caes. 61, 4.
ἦν αὐτῷ χρυσοῦς ἀνδριάς ... ἐπὶ τῶν ἐμβόλων. τούτου διάδημα ὤφθη περὶ τῇ κεφαλῇ κείμενον· ὑπόπτως δὲ πάνυ πρὸς αὐτὸ ἔχουσι Ῥωμαῖοι, δουλείας οἰόμενοι εἶναι σύμβολον· ἐπελθόντες δὲ τῶν δημάρχων Λεύκιος (Caes. Flav.) καὶ Γάιος (Epid. Mar.) ἐκέλευσαν ..... καθελεῖν κτλ.	ὤφθησαν δ' ἀνδριάντες αὐτοῦ διαδήμασιν ἀναδεδεμένοι βασιλικοῖς. καὶ τῶν δημάρχων δύο, Φλάουιος καὶ Μάρυλλος ἐπελθόντες ἀπέσπασαν κτλ.

Tum in describenda Caesaris morte nonnullis locis apud utrumque eadem leguntur. Quod enim ibi Nicolaus de loco, quo mors facta est, exponit: Nicol. c. 23 med. ἐγίγνετο δὲ αὐτοῖς ἡ σύνοδος εἰς τὴν Πομπηίου στοάν, ἔνθα [ἑκασ- del. Usener] τότε συνελέγοντο. τῷ δ' ἄρα ὁ δαίμων διεδείκνυε τὰ ἐνθάδε ὁποῖα εἴη et quae sequuntur, sententiam satis similem cernimus apud Plut. Caes. 66, 1.

Alterum est quod uterque commemorat Caesarem a D. Bruto manu ductum esse:

Nicol. 24 med.	Plut. Caes. 64, 4
ὁ μὲν ταῦτα παραπείθων, ὁμοῦ τῆς δεξιᾶς λαβόμενος .... ἦγεν αὐτόν κτλ.	ταῦθ' ἅμα λέγων ὁ Βροῦτος ἦγε τῆς χειρὸς λαβόμενος τὸν Καίσαρα κτλ.

Scilicet Plutarchus hic eo errat, quod Brutum iam domo exeuntem Caesarem egisse putat, cum ex Nicolao hoc, cum in curiam intrarent, factum esse videamus. Etiam senatum Caesari intranti adsurrexisse iisdem fere verbis narratur:

Nicol. 24 . . . εἰσιόντα δὲ αὐτὸν ὡς εἶδεν ἡ σύγκλητος, ὑπανέστη εἰς τιμῆς ἀξίωσιν· οἱ δὲ μέλλοντες ἐγχειρήσειν ἀπερὶ αὐτὸν ἦσαν.

Plut. Brut. 17, 2. Καίσαρι δ' εἰσιόντι μὲν ἡ σύγκλητος ὑπεξανέστη, καθεζόμενον δ' εὐθὺς ἐκεῖνοι περιέσχον ἀθρόοι κτλ.

His igitur expositis vidimus, in eis, quae Dio et Suetonius et ab altera parte Plutarchus praebent, Livium cognoscendum esse, quem ut recuperemus quam plenissimum etiam Valerius Maximus Velleius Livii excerptores adhibendi sunt. Ab altera parte Strabo stat, qui quomodo res tractaverit Appianus et Plutarchus docent. Cum utroque nonnullis in rebus consentit Nicolaus, sed res propria ratione et suo iudicio exposuit.

Si nunc res ad temporis rationem exponendae sunt, non dubium esse potest, quin Livium eligamus ducem, qui et plene et sincere res tradiderit. Cum vero temporum rationem non satis respexerit, hic illic adibimus Nicolaum, qui ea in re maxima sit fide dignus, qui etiam nonnullas res fusius quam ceteri describat. Rarissime autem consulendus et maxima cum cautione Strabo tractandus est, cum et ipse non nimis accurate res referat et ab eis tradatur scriptoribus, qui gravissimos committant errores.

Pars altera.

Ephemerides.

a. 45

17. mart. Caesar ad Mundam Pompeios vincit (b. hisp. 31, C. I. L. I^2 p. 250).

20. apr. Victoria Romae nuntiatur (Dio XLIII 42, 3).

exeunte aprili et s. m. Nuntio allato in Caesaris honorem haec decernuntur: ius vestis triumphalis in omnibus conciliis induendae et coronae laureae perpetuo gestandae (Suet. 45)*),

ut liberator appelletur, quod in fastis notetur, et Libertati templum aedificetur,

ut ipse filiique, si quos procreaverit, praenomine imperatoris appellentur (Suet. 45),

ut domum publicam fastigio ornatam (Lange p. 462) habitet,

ut omnibus diebus, quibus ipse sive legati eius vicerint, publica sacra fiant (App. 106),

ut nullum habeat collegam in rebus gerendis,

ut omnes magistratus, etiam plebeios creet,

ut consul in decem proximos annos sit (Suet. 76, App. 106),

ut unus milites habeat et pecuniam publicam dispenset,

---

*) Notae: Lange = L., Roem. Altert. III 1^2.
O. E. Schmidt = O. E. S., Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero. Leipzig 1893.
Nicol. = Nicolaus Damascenus, Βίος Καίσαρος.
Suet. = Suetonius, Divus Iulius.
App. = Appianus, bell. civ. l. II.

a. 45 med. fere maio — ut statua eius eburnea ferculae imposita in pompa ludis circensibus ducatur (Suet. 76, Cic. ad Att. XIII 28, 3)

ut statuae altera, cui inscribatur „deo invicto", in Quirini templo, altera in Capitolio inter regum statuas ponatur (Cic. pro Deiot. 33, Suet. 76, Dio XLIII 43, 1; 44, 1—3 et 6; 45)[1].

ex. apr. vel in. maio — Octavianus Tarraconem pervenit[2].

ex. apr. et s. m. — Caesar in Hispania res publicas constituens nonnullis oppidis civitatem dat, aliis, ut coloniae habeantur Romanae, permittit (Dio XLIII 39, 5).

med. maio — Octavianus Caesarem consequitur in Calpe oppido (Nicol. 11, Suet. Aug. 8).

med. maio — Romae homo iste, qui C. Marii filium se esse simulabat, versatur (Cic. Ad Att. XII 49, O. E. Schmidt p. 284).

c. 21. maii — Ariarathes, Ariobarzani filius, Romam venit (Cic. Ad Att. XIII 2, 2, O. E. Schmidt p. 293).

24. maii — M. Marcellus in Piraeo a P. Magio Cilone interficitur (Cic. ep. IV 12; cf. Ad Att. XIII 10, 1 et 3; 22, 1).

17. iun. — Dolabella, qui bello Hispaniensi vulneratus (Cic. Phil. II 75) Caesare prior in Italiam redierat, Ciceronem in Tusculano visit (Ad Att. XIII 9, 1, O. E. Schmidt p. 317).

ex. iunio — Promulgatur aliquid de urbe augenda (Ad Att. XIII 20, 1, O. E. Schmidt p. 249, cf. Ad Att. XIII 33, 4; 35, 1, Dio XLIII 50, 1, XLIV 49, 2, Suet. 44, Plut. Caes. 58, 4, Gell. XIII 14, 4, Tac. ann. XII 23).

m. iun. vel quint. — Caesar et Octavianus Carthaginem navigant (Nicol. 12, O. E. Schmidt p. 428).

a. 45

6.—13. quint. Ludi Apollinares ab altero eorum, quos Caesar urbi praefecerat, eduntur (Dio XLIII 48, 3).

20.—30. quint. Ludi Victoriae Caesaris (C. I. L. I² p. 322). Populus Caesaris simulacro in pompa ducto non plaudit (Ad Att. XIII 44, 1, Cic. pro Deiot. 33, O. E. Schmidt p. 430).

m. quint. et sext. Caesar per Gallias lentissime domum proficitur (Lange p. 460 s., O. E. Schmidt p. 369 s.).

ex. sext. vel in. sept. Caesar Romae appropinquat. Antonius et plurimi Romanorum nobilissimi obviam eunt (Cic. Phil. II 78, Plut. Ant. 11). Caesaris comites sunt Octavianus et D. Brutus (Plut. Ant. 11).

in. sept. ? Caesar Alsii a Cicerone salutatur (Ad Att. XIII 50, 4, O. E. Schmidt p. 432).

in. sept. Cum Octaviano Caesarem praecurrente prope Romam convenit homo, qui Marii filium se esse simulabat (Nicol. 14).

m. sext. vel sept. Caesar fit consul IV sine conlega (Dio XLIII 46, 2).

13. sept. Caesar in Lavicano testamentum facit (Suet. 83, cf. Nicol. 13 et 20).

m. sept. Leges Iuliae de praetoribus et de quaestoribus perferuntur [3]).

c. 7. oct. Caesar ex Hispania triumphat (Liv. per. 116, Dio XLIII 42, 1, Suet. 37, Plut. Caes. 56, 4, Plin. n. h. XIV 97) [4]). L. Pontius Aquila tribunus Caesari praetervehenti non adsurgit (Suet. 78). Caesar populo prandium praebet (Suet. 38).

c. 8. oct. Caesar consulatu se abdicat (Dio XLIII 46, 2, C. I. L. I² p. 28 et 64).

c. 8.—10. oct. Comitia habentur consulum praetorum quaestorum; consules creantur Q. Fabius Maximus et C. Trebonius [5]).

Provinciae sortitione non habita distribuuntur (Dio XLIII 47, 1) secundum decretum a. 48 (Dio

a. 45

XLII 20, 4). (Quibus singulae obvenerint, exposuit Lange p. 464 s.) [6]).

c. 11. oct. Caesar populo alterum prandium praebet (Suet. 38).

13. oct. Fabius triumphat (fasti Cap. C. I. L. I^2 p. 50, Dio XLIII 42, 1) ex Hispania.

oct. — dec. Supplicatio quinquaginta dierum. Caesar Parilibus equorum cursum edendum esse instituit, quod pridie eum diem nuntius victoriae ad Mundam reportatae Romam venerat (Dio XLIII 42, 2, 3).

incerto tempore Senatus ita suppletur, ut nongenti fiant senatores, in quibus libertorum filii, milites, Galli sunt (Dio XLIII 47, 3, Suet. 76, 80, Cic. de div. II 23).

ante nov. Caesari statua aurea in rostris posita est [7]).

in. nov. Vatinio, contra Illyrios pugnanti, supplicationes quas diu litteris postulaverat decernuntur [8]).

m. nov. et ineunte dec. Vatinius sex Illyriorum oppida expugnat (Cic. ep. V 10 b).

c. m. nov. Cicero pro Deiotaro orationem habet in Caesaris domo [10]).

ante 10. dec. Tribuni plebis et aediles creantur. Ex tribunis noti sunt C. Caesetius Flavus, L. Epidius Marullus (Suet. 76 al.), Helvius Cinna (App. II 147), L. Cassius Longinus (Cic. Phil. III 23).

m. dec. Octavianus belli contra Parthos gerendi particeps futurus Apolloniam praemittitur, ubi interim studiis operam det [11]).

13. dec. Q. Pedius triumphat (C. I. L. I^2 p. 50, Dio XLIII 42, 1) ex Hispania.

inter 17. et 19. dec. Q. Fabius Maximus consul in theatro illuditur [12]).

ante exeunt. dec. lex de praetoribus qua sedecim praetores instituuntur perfertur (Dio XLIII 49, 1) [9]).

a. 45.	
18. dec.	Caesar visit Philippum Asturae [13].
19. dec.	Caesar visit Ciceronem Asturae.
20. dec.	Caesar Puteolos se confert.
21. dec.	Caesar Baias proficiscitur.
ante 24. dec.	Caesar Romam redit.
c. 26.—28. dec.	Magistratus in a. 44 creantur. Consules designantur Caesar et M. Antonius; inter sedecim praetores sunt M. Brutus, cui praetura urbana, C. Cassius, cui iurisdictio inter peregrinos obvenit, C. Antonius, L. Cornelius Cinna (Lange p. 475). Inter M. Brutum et C. Cassium discordia fit, cum uterque praeturam urbanam appetierit (Plut. Brut. 7, App. II 112) [14].
31. dec.	Comitia quaestoria habentur (Cic. ep. VII 30). Caninius Rebilus consul unius diei creatur (C. I. L. I^2 p. 28, Cic. ep. VII 30, Suet. 76, Plut. Caes. 58, 1, Dio XLIII 46, 4, Macrob. Sat. II 3, 6).
exeunte a. 45 vel in. 44	Lege Cassia novi patricii adleguntur (Dio XLIII 47, 3, Suet. 41, Tacit. ann. XI 25; cf. Lange p. 472) [15].
a. 44.	
1. ian.	Caesar dictator IV et M. Antonius consulatum ineunt. Lepidus magister equitum est (C. I. L. I^2 p. 28, 38, 40, 64, Nicol. 21, Dio XLIII 49, 1, Suet. 82, Plut. Anton. 11, App. 107) [16].
1. ian.	Senatus habetur, in quo Dolabella Antonium vehementissime invehitur; Cicero adest (Cic. Phil. II 79 et 99).
incerto tempore	Rostra ex medio foro removentur in eisque a M. Antonio consule Sullae et Pompeii statuae restituuntur (Dio XLIII 49, 1, Suet. 75).
	Fundamenta theatri ponuntur ad Tarpeium montem (Dio XLIII 49, 2, Suet. 44).
m. ian.	Leges Iuliae de coloniis deducendis latae sunt. Ex eis coloniae in Campaniam iam de-

a. 44. ductae sunt (Cic. Phil. V 53, Suet. 81). Decretum est, ut in transmarinas quoque regiones coloniae deducerentur velut Corinthum Carthaginem alio (C. I. L. VIII 1, p. 133, Dio XLIII 50, 3, Plut. Caes. 57, 5, Strabo VIII 6, 23 p. 381, XVII 3, 15 p. 833, Paus. II 1, 2), sed hoc Caesare vivo non plane perficitur, velut Ursonem post Caesaris mortem demum colonia deducta est (Ephem. ep. II p. 105 s., impr. c. 6, 15). — Octoginta milia hominum in colonias transmarinas distribuuntur (Suet. 42).

m. ian. Bellum contra Parthos Caesari gerendum constituitur (Dio XLIII 51, 1, Suet. 44, Plut. Caes. 58, 3, App. 110)[17]).

m. ian. Fama Romae divulgatur Caesarem in Aegyptum, ut cum Cleopatra vivat, vel Ilium regnum terrae marisque translaturum (Nicol. 20, Suet. 79).

ante med. f. ian. Coniuratio contra Caesarem inita est[18]).

ante 26. ian. Caesari tribuuntur hi honores (Dio XLIV 4, 2 et 3):

ut ubique vesti triumphali induto prodire et exceptis conciliis, in quibus subsellio tribunorum considat, sella curuli sedere ei liceat,

ut Iovi feretrio spolia opima ferat,

ut lictores eius ubique fasces habeant laureatos,

ut post ferias Latinas ex monte Albano equo vehens Romam intret[19]).

paullo ante 26. ian. Caesaris in rostris statuae corona laurea imposita est, quam Caesetius et Epidius detrahi eumque, qui imposuerit in vincula duci iubent (Nicol. 20, Dio XIV 9, 2, Suet. 79, Vell. II 68, 4, Plut. Caes. 61, 4, Brut. 9, 4, Anton. 12, 4, App. 108)[20]).

25. ian. Feriae Latinae in monte Albano.

26. ian. Cum Caesar ex monte Albano ovans urbem intret (C. I. L. I^2 p. 50) a quibusdam rex appellatur,

a. 44. quod prohibere conatur (Nicol. 20, Dio XLIV 10, 1, Suet. 79, Plut. Caes. 60, 2, App. 108). Caesetius et Epidius eum qui primus appellaverit in ius vocant (Dio XLIV 10, 1, Plut. Caes. 61, 4, App. 108).

paullo post 26. ian. Caesetius et Epidius tribuni edicunt neque libere neque sine periculo de re publica dici posse (Dio XLIV 10, 2).

ineunte februario Caesar tribunos illos senatu in Concordiae templum convocato (Nicol. 20) vehementer aggressus per Helvium Cinnam potestate privatos et ex senatu motos (Liv. per. 116, Dio XLIV 10, 3, Suet. 79, Vell. II 68, Plut. Caes. 61, 5, App. 108) in exilium mittit (Cic. Phil. XIII 31, Nicol. 20). Caesetii pater recusat, ne quod Caesar postulavit filium abdicet (Val. Max. V 7, 2).

post 26. ian. Caesari tribuuntur hi honores (Dio XLIV 4, 4 et 5)[19]:

ut pater patriae appelletur, quod nummis quoque incudatur,

ut die natali sacra fiant,

ut statuae Caesaris in omnibus oppidis et in omnibus Romae templis collocentur, duo vero in rostris, altera corona civica, altera obsidionali ornatae,

ut Concordiae recenti templum aedificetur eique sacra sollemnia agantur.

in. febr. Pro Caesetio et Epidio duo novi creantur tribuni (Nicol. 20, Dio XLIV 10, 4).

in. febr. Caesari mandatur (Dio XLIV 5, 1)[19]:

ut siccet Pomptinas paludes (Cic. Phil. V 7, Suet. 44, Plut. Caes. 58, 5),

ut a mari Supero usque ad Tiberim viam muniat (Suet. 44),

a. 44.

ut Isthmum perfodiat (Suet. 44, Plut. Caes. 58, 4),

ut novam curiam exstruat.

Una cum eis Caesari hi honores tribuuntur:

ut tribus aliqua sorte eligatur, quae Iulia appelletur,

ut censor solus et perpetuus sit,

ut aeque ac tribuni sacrosanctus et inviolatus sit,

ut filius, si quem procreaverit sive adoptaverit, pontifex maximus sit.

Una cum eis lex Antonia perfertur, ut Quintilis mensis Iulius nominetur (Macrob. Sat. I 12, 34, Suet. 76, Flor. II 13, App. 106).

post 26. ian. — Caesari a senatu et populo perpetua dictatura decernitur (Lange p. 480).

post 26. ian. et ante 9. febr. — Caesar verba facit de iure Hyrcani, Iudaeorum pontificis (Ioseph. Ant. Iud. XIV 10, 7).

inter 9. et 14. febr. — Caesar dictator IV abdicat (Lange p. 481) et recipit dictaturam perpetuam (Cic. Phil. II 87, Liv. per. 116, Dio XLIV 8, 4, Suet. 76, Plut. Caes. 57, 1, App. Pun. 136, Flor. II 13, Ioseph. Ant. Iud. XIV 10, 7, C. I. L. I² p. 28, 38, 40 s., 61).

ante 14. febr. — Caesari hi honores decernuntur (Dio XLIV 6, 1 et 2)[19]:

sella aurea[21]) et toga regia, custodia equitum et senatorum (Suet. 84, Sen. de ira III 30),

ut supplicatio solemnis pro eo habeatur,

ut per fortunam eius iurari possit,

ut omnia quae fecerit, rata sint[21]),

ut quinquennalia eius quasi heroi, sacerdotes ad Lupercalia, sodalitas tertia Iulia instituantur,

Antonio auctore (Cic. Phil. II 110) ut in omnibus ludis Romae et in Italia habitis unus dies Caesari devotus sit.

a. 44.

paulo post — Caesar quamquam equitum et senatorum custodiam non acceperat (Dio XLIV 7, 4), benevolentia eorum fretus Hispanorum custodias quas adhuc secum habebat dimittit (Suet. 86, Dio XLIV 7, 4, Nicol. 22, App. 107).

ante 15. febr. — Caesari hi honores decernuntur (Dio XLIV 6, 3): ut in theatris sellam auream[21]) et coronam auream et gemmatam habeat et in pompa tensa eius ducatur[19]).

14. febr. — Caesar primum in sella aurea sedet et purpurea veste indutus procedit. Cum Spurinna haruspex immolet, in extis bovis opimi cor non est (Cic. de divin. I 119, Val. Max. VIII 11, 2, I 6, 13, Suet. 77 et 81, Dio XLIV 18, 4, Iul. Obs. 67, Vell. II 57, 2, Plut. Caes. 63, 3, App. 116).

15. febr. — Caesar iterum infaustis utitur auspiciis (Cic. de divin. I 119).

15. febr. — Lupercalia habentur quae Caesar in rostris sedens inspectat; in quibus cum Lupercorum agmen rostra praetercurrat, Caesari a Licinio, Cassio, Antonio diadema offertur, quod non recipit, sed ad Iovem in Capitolium mittit (Cic. Phil. II 85, III 12, XIII 17, Nicol. 21, Dio XLIV 11, XLV 30, Suet. 79, Liv. per. 116, Quint. Inst. IX 3, 61, Plut. Caes. 61, Anton. 12, Flor. II 13, App. 109). Antonius Caesaris statuae diadema imponi iubet (Nicol. 21)[22]).

ante 18. febr. — Lex Iulia de magistratibus: duo aediles Cereales instituuntur, quindecimviris unus, septemviris tres adduntur collegae (Dio XLIII 51, 3 et 9)[23]).

ante 18. febr. — Cinna praetor tribunos a Caesare expulsos reducit (Nicol. 22)[24]). Caesar omnibus adhuc exulibus, ut in Italiam redeant et magistratus appetant, permittit (Suet. 75, Dio XLIII 50, 2, App. 107)[25]).

a. 44.

ante 18. febr. Cassius Brutum sibi reconciliat. Coniurati deliberant, ubi et quando Caesarem interficiant[26]. (Nicol. 23, Suet. 80).

c. 18.—20. febr. Comitia a Caesare habentur (Nic. Dam. 22, Dio XLIII 51, 2 s., Lange p. 477):

creantur in a. 43 Hirtius et Pansa consules, Cn. Domitius Calvinus magister equitum (C. I. L. I^2 p. 28) sedecim praetores in quibus P. Ventidius est, quadraginta quaestores, sex aediles;

in a. 42 D. Brutus et Munatius Plancus consules, Octavianus mag. equ., tribuni;

consulatus a. 41 M. Bruto promissus neque vero datus videtur esse[27],

in a. 44 consul suffectus creatur Dolabella, cui creando Antonius intercedit (Cic. Phil. II 82).

Comitiis consularibus Marullus et Epidius a nonnullis consules dicuntur (Nicol. 22, Dio XLIV 11, 4, Suet. 80).

exeunte febr. Caesari hi honores decernuntur (Dio XLIV 6, 4; 7, 1—3[19]); cf. Cic. Phil. II 110):

ut divus appelletur,

ut Caesari eiusque Clementiae templum devoveatur,

ut Antonius Caesaris flamen sit,

ut sepulcrum habeat intra pomerium,

ut quae in eius honorem decreta sint columnis incidantur et in Iovis Capitolini aedibus collocentur[28].

in. marte Caesar senatui cum omnibus magistratibus honores summos deferenti in foro Iulio ante aedem Veneris Genetricis sedens non adsurgit. Senatores maxime indignati decedunt (Nicol. 22, Liv. per. 116, Dio XLIV 8, Suet. 78, Plut. Caes. 60, 3, App. 107; cf. supra p. 13 s.).

paulo post Senatus idibus mart. habendus indicitur. Fama divulgatur tunc L. Aurelium Cottam quindecim-

a. 44. virum sententiam dicturum, ut Caesar extra Italiam rex appelletur (Cic. de divin. II 110, Dio XLIV 15,3, Suet. 79, Flor. II 13, Plut. Caes. 60, 1, App. 110). Coniurati Caesarem eo die necare constituunt (Nicol. 23, Suet. 80).

14. mart. Convivium apud Lepidum cui Caesar et D. Brutus adsunt (Suet. 87, Plut. Caes. 63, 4, App. 115).

15. mart. Mane C. Cassii filius togam virilem accipit (Plut. Brut. 14, 3). Senatus in Pompeii curiam convocatus est; Caesar de auspiciis quibus Antonius Dolabellae comitiis consularibus intercesserat acturus est (Cic. Phil. II 88).

Caesar somniis morbo sacris infaustis impeditus senatum per Antonium dimittere vult, sed

quinta hora (Suet. 81) a D. Bruto quem coniurati miserant impulsus ad senatum se confert.

In via Spurinnam haruspicem irridet et libellum coniurationis indicem accipit.

Antequam curiam intrat iterum infausta sunt auspicia.

A D. Bruto in curiam ducitur, cum Antonius a Trebonio retineatur (Cic. ep. X 28, 1, Phil. II 34, XIII 22).

Caesar viginti tribus vulneribus confossus sub Pompeii statua occidit (Cic. de div. II 23, Nicol. 24, Liv. per. 116, Dio XLIV 19, Suet. 82, Val. Max. IV 5, 6, Vell. II 57, Eutrop. VI 25, Flor. II 13, Plut. Caes. 66, App. 117).

ADNOTATIONES.

1) De tempore quo ea decreta sint Dio qui enumeravit hoc tantum addit (XLIII 46, 1): ταῦτ' ἐπὶ νίκῃ (λέγω δὲ οὐ πάντα, ἀλλ' ὅσα ἀξιόλογα εἶναί μοι ἔδοξεν) οὐκ ἐν μιᾷ γε ἡμέρᾳ, ἀλλ' ὥς που καὶ ἔτυχεν, ἄλλο ἄλλῃ ἐκυρώθη.

Certius vero id definiri potest Caesaris in Quirini templo statuam medio fere mense maio collocatam esse cf. Cic. Ad Att. XII 45, 3 quam epistulam qui nuper de ea re egit O. E. Schmidt (Der Briefwechsel des M. Tullius Cicero 1893, p. 283 et 427) *) d. 17. m. maii scriptam esse putat.

Deinde statua in pompa conducenda Caesari ante 20. quint. tributa esse debet cf. Ad Att. XIII 44, 1 et O. E. Schmidt p. 430.

De consulatu denique Caesari dando ante 18. maii nihil decretum est cf. Ad Att. XII 49, 2 „O tempora, fore quum dubitet Curtius consulatum petere", quae scripta est epistula d. 19. m. maii cf. O. E. Schmidt p. 427. De ceteris nihil certius investigari potest.

Iam vero quaerendum est quae ex his decretis effecta quaeve a Caesare accepta sint, cf. Dio XLIII 46, 1 καὶ σφῶν ὁ Καῖσαρ τοῖς μὲν χρῆσθαι ἤρξατο, τοῖς δὲ ἔμελλεν, εἰ καὶ τὰ μάλιστά τινα αὐτῶν παρήκατο. Atque primum non dubium est, quin illae statuae positae sint. Deinde non opus est perscrutari, num Caesar ea decreta acceperit, quibus senatus illi eas tribuit

---

*) Quae ad Ciceronis epistulas referenda sunt, in eis O. E. Schmidt sequar auctorem, quamquam valde dubito, an ubique recte iudicaverit, quippe qui epistulas secundum temporis rationem disponens earum seriem nimium in modum commutaverit. Quod autem errores, qui eo fieri videntur, paucorum dierum sunt neque res gravioris momenti in eis epistulis insunt, Schmidtium corrigere vel refutare supersedeo, ne nimium a proposito abducar. Res enim magis est intricata quam quae paucis verbis absolvatur.

potestates, quas re vera iam diu obtinuit, dico ut nullum habeat collegam, magistratuum creationem (cf. vero not. 5), ut unus milites habeat et pecuniam publicam dispenset, cf. quae de talibus decretis apud Dionem leguntur XLII 20, 1 οὐχ ὅτι καὶ αὐτὸς παρ' ἑαυτοῦ οὐ τοῦτ' ἤδη λαβὼν εἶχεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἐν νόμῳ δή τινι αὐτὸ ποιεῖν δόξῃ.

Certe accepit ius vestis triumphalis induendae, ut postea quoque vestem regiam induit cf. Dio XLIV 6, 1 et Cic. de div. I 119, item ius coronae laureae gestandae cf. Suet. c. 45.

Sacra quoque diebus quibus vicerat facta esse fortasse ex eo est concludendum, quod postea in fastis Caesaris victoriae significatae sunt cf. C. I. L. I^2 p. 223 fasti Maff. 27. mart.; p. 244 f. Amit. 1. 2. 9. aug.; p. 248 f. Ant. 2. 9. aug.; p. 250 f. Farnes. 17. mart.

Num Liberatoris cognomen et Imperatoris praenomen acceperit et Libertati templum aedificatum sit, cognosci non potest. Imperatoris praenomen Caesari tributum esse Mommsen negat (Roem. St.-R. II 1^3 p. 767 n. 3). Ut vero consul in decem annos fieret, Caesar non recepit; consulatum a. 45 suscepit: Dio XLIII 46, 2 τὴν δ' οὖν ἀρχὴν τὴν ὕπατον παραχρῆμα μὲν καὶ πρὶν ἐς πόλιν ἐσελθεῖν ἀνέλαβεν.

2) Octavianus in Hispaniam pervenit septem mensibus (Nicol. 10) postquam Caesar ad bellum profectus erat (exeunte septembri vel ineunte octobri a. 46 cf. Fourer, Eph. Caes., diss. Bonn. 1889 p. 15).

3) Cf. Dio XLIII 50, 1 νόμους εἰσέφερε. Hoc ante comitia a. 45 habita factum est, cum tunc primum quattuordecim praetores et quadraginta quaestores crearentur (Dio XLIII 47, 2).

4) Caesar mense octobri Romam intrat (Vell. II 56, 3) et paucos dies ante Fabium triumphat (Quint. Inst. VI 3, 61). — Florus II 13 (p. 104 Jahn) erravit, cum triumphos de Africa et de Hispania in unum contrahere.

5) In annum 45 comitia praeter tribunorum et aedilium non habita erant (Dio XLIII 48, 1, Suet. 76), cum secundum senatus consultum Caesarem comitiis praeesse oporteret (Dio XLII 20, 4). Tunc demum comitia facta sunt statim post Caesaris triumphum, cum Q. Fabius d. 13. m. oct. triumphans iam consul esset. Sed non solum consules (Dio XLIII 46, 2, Suet. 76 „utroque anno binos consules substituit in ternos novissimos menses") tunc creati sunt, sed etiam ceteri magistratus (Dio XLIII 47, 1), quorum alteram populus, alteram partem Caesar elegit. Decretum enim, ut Caesar omnes crearet magistratus (Dio XLIII 45, 1, Nicol. 21) Caesar non plenum acceperat

cf. Suet. c. 41 *): „Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus conpetitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia quos populus vellet pronuntiarentur, pro parte altera quos ipse edidisset" (cf. Lange p. 463).

6) Provincias eodem fere tempore distributas esse quod Dio statim post comitia commemorat ex eo apparet, quod M. Curio qui Patris versabatur epistula d. 28. m. oct. data a Cicerone, ut Servii Sulpicii successori commendaretur, petiit (Cic. ep. VII 29). Sulpicium vero usque ad id tempus Achaiam administrasse satis constat (cf. Cic. ep. VI 6, 10; 1, 6; 4, 5; VII 29, 1; IV 12, 1 alibi). Itaque L. Lange (p. 465) paulum erravit, cum M. Acilium Glabrionem in Achaia mansisse dicat, cui tunc demum ea provincia obvenerit.

7) Ea statua, quam Nicolaus quoque (c. 20) commemorat posita est antequam Cicero orationem pro Deiotaro habuit (Pro Deiot. 34).

8) Cf. Cic. ep. V 9—10b. Epistulae 10a et 10b recte ab editoribus disiuncta sunt. Quod vero temporis rationem attinet, 10b sequitur epistulam 10a; e quibus 10a scripta est, cum Caesar iam Romae esset, ergo non ante octobrem, secundum autem verba (ep. 10, 1): „quod me frigus Dalmaticum . . . etiam hic refrigeravit" ineunte m. novembri ut videtur; ep. 10b idibus dec. datam esse Vatinius ipse addit.

9) Praetorum numerum iterum ampliavit Caesar ante comitia in a. 44 habita; quo anno sedecim viri munere praetorio functi sunt (Dio XLIII 49, 1).

10) Orationem pro Deiotaro Cicero habuit praesente Servio Sulpicio (Pro Deiot. 32) qui, postquam Acilio successori Achaiam provinciam tradidit (cf. not. 6), non ante octobrem exeuntem Romam redire potuit. Cum autem Deiotari causa iam diu ageretur, — Caesar enim iam ex Hispania Deiotaro litteras dederat (Pro Deiot. 38) —, orationem mense novembri vel paulo post quo tempore et Caesar et Cicero Romae versati videntur esse, habitam esse censendum est.

11) Cf. Nicol. 16, Liv. per. 117, Suet. Aug. 8, Vell. II 59, 4. Appianus (b. c. III 9) Octavianum cum sextum mensem Apolloniae degeret Caesaris necem comperisse dicens erravit.

---

*) Quod Nicolaus c. 22 scribit: ἀρχαιρεσίαι δ' ἦσαν ἐνιαύσιοι ὑπὸ Καίσαρος ἀγόμεναι· αὐτὸς γὰρ εἶχε τὴν τούτων ἐξουσίαν, ὥσπερ ἐκέλευσε τὸ δόγμα spectat ad id quod supra commemoravi Caesarem omnibus comitiis praeesse debere.

12) Talia in Saturnalium licentia accidere potuerunt; itaque iis tribui.

13) Cf. Cic. Ad Att. XIII 52. Ex verbis „Puteolis se (Caesar) aiebat unum diem fore" colligo (contra O. E. Schmidt p. 68, 356, 433) Caesarem nondum Puteolis esse, sed eo venturum ibique unum diem versaturum esse. Quod vero Philippus Ciceronis vicinus est, Ciceronem a Caesare visum esse puto Asturae, ubi Cicero et Philippus vicini sunt (cf. Ad Att. XII 16 et 18).

14) Cum ultimo demum die m. dec. comitia quaestoria habita sint (Cic. ep. VII 30), concludendum est ceterorum magistruum comitia diebus comitialibus qui praecedunt c. 26.—28. dec. habita esse.

15) Sumendum est qui eam legem rogaverit esse eum Cassium qui a Caesaris partibus steterit, L. Cassium Longinum, qui a. 44 tribuni munere fungebatur (Cic. Phil. III 23).

16) Error ille, quem Dionem qui Caesarem dictatorem V esse dicat praebere Mommsen vidit (C. I. L. I² p. 40 s.) fortasse iam Livio tribuendus est, cum eius erroris vestigia apud Plutarchum quoque exstent (cf. Momms. l. c.).

17) Bellum contra Parthos gerere Caesar iam diu in animo habuit (cf. Cic. Ad Att. XIII 27, 1; 31, 3, Suet. Aug. 8, supra not. 11), sed a populo decretum a. 44 demum videtur esse, cum Dio Livium secutus hoc anno commemoret. Non intellego cur Lange (p. 475) hoc ante a. 45 exitum factum esse putet.

18) Nicolaus coniurationem iam antequam Caesar cum tribunis Caesetio et Epidio controversiam habuit, commemorat c. 20: γενόμενον δέ τι καὶ τοιόνδε παρώξυνε τὰ μάλιστα τοὺς ἐπ' αὐτὸν συνεστῶτας.

19) Ex honoribus qui Caesari permulti et eximii tribuebantur ultimo ante mortem anno, omnes scriptores nonnullos commemorant, maiorum honorum vero enumerationem pleniorem unus Livius videtur habuisse, quam Dio servavit (XLIV 4—7). Qui honores cum gradatim maiores nominentur, secundum temporis rationem enumerati videntur esse. Praeterea eius enumerationis singulae partes haud difficulter cognoscendae sunt. Itaque quo tempore quaeque pars Caesari tributa sit, coniciendo definire conabor.

Atque primi honores (c. 4, 2 et 3) cum ad ovationem ex monte Albano pertineant, paullo ante 26. ian. decreti erunt, ut Caesar ex monte Albano rediens eis uti possit.

Altera vero pars (c. 4, 4 et 5) postquam paullo ante 26. ian. statuae in rostris corona laurea imposita est, Caesari data est;

adhuc enim una tantum statua ibi posita erat, tunc altera additur.

Tertiam deinde partem (c. 5) coniungam cum Caesaris cum tribunis controversia et concludam senatum quae hic nominantur, Caesari tribuisse, ne iterum a tribunis quibusdam offenderetur. Ad ea autem quae ibi Caesari mandata esse narrantur adnectam etiam quae a ceteris scriptoribus talia referantur, quae quo tempore constituta sint incertum est.

Tum quae quarto loco (c. 6, 1 et 2) afferuntur certe ante 14. febr. decreta sunt (cf. supra ephem. 14. febr.).

Etiam quinta pars (c. 6, 3) ante 15. febr. decreta erat, cum in Lupercalibus corona aurea iam ornatus esset (cf. Dio XLIV 11, 2). Quae denique ultimo loco commemorantur aperte ultimi sunt, cum Caesarem quasi deum declarent, quod Dio ipse dicit . . . καὶ τέλος Δία . . προσηγόρευσαν κτλ.

20) De hac re quid putandum sit supra p. 7 satis explicatum est. Quod vero Nicolaus hic contra temporum ordinem, postquam statuae diadema impositum esse narravit, demum commemorat Caesarem a populo regem esse appellatum, nihil refert, cum hoc re vera post illud factum esse scriptor nequaquam dicat; ὁ δὲ δῆμος ἐβόα tantum legitur, cum tempus non indicetur.

21) A Floro (II 13) suggestus in curia et a Suetonio (c. 76) suggestus in orchestra commemorantur, qui fortasse cum decretis de sellis aureis coniungendi sunt. Quod vero Appianus (c. 106) nominat καὶ τὰς ἀρχὰς εὐθὺς καθισταμένας ὀμνύναι μηδενὶ τῶν ὑπὸ Καίσαρος ὁριζομένων ἀντιπράξειν ad idem spectare videtur, ad quod Dionis, ut omnia quae Caesar fecerit, rata sint.

22) Quae Dio XLIV 11, 2 ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ τῶν Λυκαίων γυμνοπαιδίᾳ ἐς τὴν βασιλείαν ἐσῆλθε καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος . . . . · ἐκαθίζετο praebet, intellegi nequeunt neque quod Xylander pro βασιλείαν scripsit ἀγοράν arridet; sed deest emendatio potior.

23) Cf. Dio XLIII 51, 3, Suet. 41. Hoc factum est priusquam Caesar comitia ante bellum Parthicum habuit, cumque ea comitia paulo post Lupercalia habita esse videantur (Nicol. 22), lex qua aedilium numerus auctus est paulo prius, fortasse ante Lupercalia data est. Cf. Dig. I 2, 32 ubi vero falso duodecim praetores creatos esse traditur.

24) Tribunos revocatos esse post Lupercalia et ante comitia apparet ex Nicolai c. 22. Falso vero Appianus (c. 122) eos post Caesaris mortem demum reductos esse tradit.

25) Fortasse cum hac re coniungendum est quod Caesar ultimis ante mortem mensibus omnibus adversariis veniam

redeundi dedit; ad quod decretum illud, ut Caesaris clementiae templum voveatur, spectare potest (Dio XLIV 6, 4).

26) Ex Nicolai c. 23 (= Suet. 80) apparet coniuratos ante comitia iam de Caesaris nece deliberasse. Brutum et Cassium vero tunc iam reconciliatos esse licet conicere, quod certe ante kal. mart. factum erat cf. Plut. Brut. 10, 2 ἠρώτησεν εἰ τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἔγνωκεν εἰς σύγκλητον παρεῖναι.

27) Cf. Vell. II 56, 3, Plut. Caes. 62, 2, Dio XLIII 51, 2 διενοοῦντο μὲν καὶ ἐς τρία ἔτη αὐτοὺς προκαταστῆσαι et 6 τοσοῦτον ἐδέησε καὶ ἐς τὸ τρίτον τινὰ ἀποδειχθῆναι.

28) Quod post ea Dio (XLIV 7, 3) commemorat adulatores Caesaris in animo habuisse legem perferre ut quot vellet mulieres in matrimonium ducere ei liceret, non perfectum est cf. Suet. 52.

VITA.

Natus sum Carolus Aemilius Hermannus Krueger in vico Dedeleben Saxoniae Borussicae a. h. s. LXIX d. XV m. iun. patre Eduardo matre Helena e gente Bardenwerper quibus gaudeo superstitibus. Fidei addictus sum evangelicae. Tribus annis post parentes mei Dessaviam transmigraverunt, ubi per decem annos gymnasium Fridericianum frequentavi, quod floret auspiciis Gustavi Krueger, patrui carissimi.

Vere a. XIC maturitatis testimonio instructus Gottingam me contuli studiis philologis et historicis operam daturus. Inde vere a. XC Argentoratum, vere a. XCI Bonnam migravi. Docuerunt me v. d. Dilthey, Hamann, Leo, G. E. Mueller, Sauppe†, Volquardsen, de Wilamowitz Gottingenses; Kaibel, Kiessling†, Michaelis, Thraemer, Varrentrapp, Windelband Argentoratenses; Bethe, Brinkmann, Buecheler, Elter, Justi, Koser, Loeschcke, Martius, Nissen, Ritter, Usener, Wiedemann Bonnenses. Buecheleri, Elteri, Useneri beneficio in seminarium regium philologorum receptus sum cuius per quater sex menses sodalis fui ordinarius. In seminarium historicum benevole me admiserunt Koser, Nissen, Ritter. Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt epigraphicis et philologis Buecheler, philologis Bethe, Brinkmann, Thraemer, archaeologi Loeschcke et Michaelis, philosophis Elter et Martius.

Quibus omnibus viris gratias habeo magnas, maximas Buechelero, Loeschckio, Nisseno, Usenero, praeceptoribus carissimis grata mihi memoria semper colendis.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Longini τέχνη ῥητορική Ed. Spengel:
   a) p. 301, 7 inter γένη et πλούτους insero πενίας.
   b) p. 308, 3 pro ἀφείλετό με scribendum est ἀμφὶ σοῦ λέγομεν.
   c) p. 311, 16 sic legendum est: διαπλάττει γὰρ αὐτοὺς καὶ | σώματός πως μετέχειν ποιεῖ. libri: σχήματος.

II. Euripidis Alcestidis delendi sunt:
   a) v. 380 et 381, 386 et 387 cf. v. 1085 et 527,
   b) v. 1082 et 1083 cf. v. 615, 418, 824.

III. In Nicolai Damasceni vita Caesaris lacunae sunt:
   a) c. 4 inter verba χωρίων et κατέβαινε,
   b) c. 11 inter verba εἶχεν et ἀφίκετο,
   c) c. 19 inter verba ἐπαινούμενος et πάντες,
   d) ante c. 26 b.

IV. Ciceronis epistulas ad Atticum datas secundum temporis rationem disponenti quantum fieri potest traditus epistularum ordo servandus est.

V. Cic. ad Att. XII
   a) ep. 31 et 32 coniungendae sunt,
   b) ep. 12—34 scriptae sunt a. 45 inde a 7. usque ad 29. martis diem ita ut unoquoque die una epistula daretur. Ordinem commutare non licet.

VI. Euripidis Ion a. 415 scripta videtur esse.

VII. Thucydidi quomodo Athenis tyranni necati sive expulsi sint, referenti fides maior habenda est quam Aristoteli.

VIII. Erravit Plutarchus (Anton. 10, 4) Antonium ex Gallia eodem tempore quo Caesar ex Hispania reverteretur Romam venisse prodens.

VI. Euripidis Ion v. 448 corrupta videtur esse.

VII. Thucydidis narratio [illegible] tyrannis [illegible] quae [illegible] fide maior habenda est quam Aristotelis.

VIII. [illegible] Annon. [illegible] [illegible] Gallis [illegible] tempore quo [illegible] [illegible] Romam [illegible].